DE DUABUS FORMIS

ARCHETYPIS ÆNEIS

AD ANTIQUUM NUMISMA

MAJORIS MODULI PERTINENTIBUS

DISQUISITIO.

VERONÆ

EX TYPOGRAPHIA GIULIARI

M. DCC. IC.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI

STEPHANO BORGIA

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

S. CONGREGAT. INDICIS PRÆF. ET SAC. CONGREGAT. DE PROPAGANDA FIDE PROPRÆFECTO

SIMON STRATICO F.

Cum ex doctorum hominum de re antiquaria libris colligerem, raro admodum observandas occurrere archetypas metallicas formas, quibus pro signandis numis veteres utebantur, eas quæ hoc opusculo describuntur cum eruditis publice communicandi consilium cepi, posse per ipsas ratus numariæ doctrinæ eam partem, quæ ad veterum monetariorum instrumenta ac artificia spectat, nonnihil promoveri. Hoc idem mihi veniam impetraturum speravi, quod tenuem hanc disquisitionem vulgare auderem tuo, EMINENTISSIME PRINCEPS, *inscriptam nomine, quo, ex eruditionis solidæ qua polles laude, ac scientiæ multijugæ, & ex dignitate ac gravitate summa munerum quæ*

Digitized by Google

sustines, majora doctissimorum virorum opera nitescere par est. Animum vero addidit, tum cogitatio, studiorum hoc quoque genus, late patente cognitione, acri judicio, egregiorumque monumentorum copia ac delectu in famigeratissimo familiari tuo Velitrensi Museo collectorum, acceptum tibi esse: tum & eximia illa animi comitas, qua scientiarum literarumque, & artium politiorum cultores in tuam societatem admittis, ipsorumque studiis liberaliter faves. Quod itaque tuum est, CARDINALIS AMPLISSIME, benigno nutu, hoc quod tibi offero exiguum quidem, sed ingenuum venerationis, qua tuas virtutes prosequor, iisdemque me devotum glorior profiteri, testimonium excipias obtestor.

Vicetiæ Kal. Jun. MDCCIC.

DE DUABUS FORMIS

ÆNEIS ARCHETYPIS

AD

ANTIQUUM NUMISMA MAJORIS MODULI PERTINENTIBUS.

Paucis ante annis in Regno Dalmatiæ a Villico proprium fundum arante, in agro cui nomen est *Suppliacerque*, hoc est, Templum dirutum, involucrum compactum ex plumbi folio repertum est, quod binas continebat formas metallicas, quarum magnitudinem, crassitudinem, ac figuras iisdem insculptas annexa Tabula exhibet. Easdem Villicus rei antiquariæ amatori, mediocri oblato pretio, concessit. Ager ille proximus loco est, qui *Trajanscki-grad* appellatur, seu Trajanopolis, ubi nonnulla conspiciuntur antiqua rudera, & arcuum reliquiæ. In ea vicinia situm fuisse vetustum Burni oppidum ex Tabula Peutingeriana colligitur.

In altera earum formarum, quam anticam vocabo, insculptum est caput juvenile diadematum. (I) Ejusdem pondus est gran. med. 1440.

In altera, quam vocabo aversam (II) habetur inscriptio ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, & Minerva galeata sedens, dextera victoriolam gestans, quæ coronam oleæ foliis contextam ambabus attollit manibus, sinistro cubito clypeo innititur, hastam inclinatam sustinet cuspidatam, cuspide sursum versa. Ad Deæ genua advolat aquila, an noctua? Fulcrum sedilis Minervæ ad artus Leonini figuram

Digitized by Google

est delineatum. Ipsius pondus est gr. med. 1410.

Figura utriusque, est segmenti sphærici, quod oritur a duobus planis a diametrali æquidistantibus, sphæram secantibus. Hinc ipsarum crassitudo zona sphærica terminatur. (V)

Metallum, ex quo constant, conflatum est ex cupro & aurichalco, cujus pondus specificum, posita aqua pluvia 1000, est 9237.

Utriusque postica facies plana est, ac manifesta præsefert indicia ictuum mallei quo percussæ fuere. Sed aversæ postica facies ita fuit ictibus contusa, ut circa medium depressa sit, & anterius in facie sculpta assurgat. (V)

Formæ videntur archetypæ ad numos signandos: utramque vero ad eumdem numum pertinere suadent metalli, magnitudinis, figuræ similitudo.

Easdem consideranti inquirendum occurrit.

I. Num inveniantur numi Lysimachi utriusque illius typi. (II & IV)

II. Num illæ formæ sint antiquæ, & ad Lysimachi ævum referendæ.

III. Num, & qua ratione signandis numis inservire potuerint.

IV. Quid insculptæ figuræ significent.

V. Quid aliqui docti viri, & rei antiquariæ periti de iisdem judicaverint.

I.

Ut investigationem primo loco propositam instituerem aliquot consului libros, ex quibus typos collegi, qui sequuntur.

Ex *Numism. antiq. a Jacobo Musellio colleɑ. & edit. Veronæ* 1751. Tab. III. Reges Macedoniæ.

1. Caput Lysimachi diadematum, cum cornu arietino.

Au. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. Minerva galeata sedens, dextera victoriolam & a latere hastam transversam, sinistro cubito innixa clypeo; a dextris in area monogramma, sub sedili literæ ΒΤ, in imo tridens. *Gesn.* Tab. VI. n.° XVIII. *Goltz.* T. III. Tab. 36. n.° 7.

2. Caput idem.

Ar. Eadem inscriptio. Minerva galeata, ut supra: a dextris in area monogramma & clava: in ima parte pharetra cum arcu & monogramma. *Beger.* Vol. I. p. 244. *Goltz.* T. VI. n.° 30.

3. ΙΤΗΝΑΓΩ . . . Caput barbatum laureatum.

Ar. Eadem inscriptio. Minerva galeata, ut supra. A dextris in area icuncula & quid ignotum.

De hoc numismate Eckelius in *Doctrin. Num. Vet.* T. II. p. 600 notavit hæc: « Numum argenteum edidit Maffejus, eumque restituit Froelikius.

ΙΤΗΝΑΙ . . . ΚΩΙ. Caput Jovis)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. Pallas sedens, ut in obviis Lysimachi Thraciæ Regis. Vereor ne numus sit hermaphroditus, & ex binis ad diversas classes pertinentibus pessime confictus, cujus antica sumpta sit ex notis similibus Goltzianis, ut revera horum unus inscribitur ΙΣΗΜΑΝΟΥ ΚΩΙΩΝ, postica ex notis Lysimachi. »

4. Caput Lysimachi diadematum & cornutum.

Ar. Eadem inscriptio, quæ in 2. Minerva galeata ut supra: in area quid ignotum, & sub sedili astrum. Gesn. Tab. VI. n.° 35.

Ex *Museo Theupolo*, *pag.* 1217.

5. Caput Lysimachi diadematum, cum cornu arietino.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. Pallas galeata, sedens, dextera victoriolam & hastam transversam, sinistro cubito innixa clypeo: in area π. aureus 1.

6. alius. in area N & tridens . . aureus 2.

7. alius. in area ΔΙ . . . . . . aureus 2.

8. alius. in area tridens, in sede Palladis ΒΥ . . . . argenteus 1.

9. alius. in area caput Leonis, in sede Palladis OE . . . . argenteus 1.

10. alius. in area ΘΕΜ. & tridens, in sede Palladis TO . . . . . argenteus 3.

11. Caput imberbe galeatum.

Eadem epigraphe. Leo gradiens, in area cuspis lanceæ . . . . 3.

12. Caput imberbe tectum pelle leonis.

ΒΑΣ. ΛΥΣΙΜ. In corona cum spicis . . 5.

13. Caput imberbe galeatum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. Dimidius Leo. . 5.

Ex *Crophii Antiq. Macedon.* in Gronovii *Antiq. Græc. Vol. VI.* p. 2862 *Edit. Ven.* Tria habentur Lysimachi numismata, notata numeris III. V. XI.

14. III. Caput Lysimachi imberbe, diadematum, cum cornu arietino.

Aur. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΤΣΙΜΑΧΟΤ. Minerva galeata sedens, victoriolam gestans. Sub sedili tridens. Monogramma ΦΑΤ.

15. V. Caput idem. Arg. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΙΣΙΜΑΧΟΤ. Minerva galeata victoriolam gestans, quæ altera manu coronam attollit, altera ramum prætendit. Monogramma K.

16. XI. Caput idem. Arg. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΙΣΙΜΑΧΟΤ. Minerva sedens, cum hasta a parte dextera. Hastæ cuspis in terram versa est. Monogramma ΤΤΡ.

In epigraphe V & XI, ubi pro Τ scriptum est I, incertum mihi est, num error sit in ipso numismate, aut in editione Crophii, aut in editione Gronovii.

Ex *Wolfang. Lazii Græc. antiq. variis numismatibus illustrata, lib. I. c.* 1. *n.°* 1.

17. Facies juvenilis, cornu arietino diademati adstituto ornata. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΤΣΙΜΑΧΟΤ. Pallas sedens.

Et *lib. II. c.* 4. *T. VI. n.°* 4.

18. Caput diadematum cum cornu arietino. Eadem epigraphe. Junonis effigies, ut putat Lazius, præsertim ad explicandam descriptionem Pausaniæ templi Junonis, quod erat Mycenis. Figura Deæ eadem, quæ in aliis relatis numis. Hasta caret.

Du Choul (*de la relig. des Anc. Romains*) bina hæc affert numismata maximi moduli.

19. Caput diadematum cum cornu arietino Arg. Minerva galeata sedens, victoriolam gestans. Hasta caret. Inscriptio ΤΙΜΩΑΜΤ.

20. Caput idem. Ær. Inscriptio ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. Minerva galeata, ut ſupra. Ad deæ genua advolat aquila. In area literæ ΚΑΛΧΑ.

Ex Eckelii *Doctrin. Num. Vet.* T. II. p. 33. Reges Thraciæ. Numi Lyſimachi.

21. Caput Palladis galeatum Ӿ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. Victoria ſtans. d. lauream. s. tridentem. in area caput leonis. Aur. (*Pelerin*).

22. Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum Ӿ Eadem epigraphe. Juppiter ſedens d. aquilam s. haſtam. in area leo currens. In alterius area equus marinus alatus, & leo dimidius. Ar. III. (*Mus. Cæs.*).

23. Caput Regis diadematum adſtituto arietis cornu Ӿ Eadem epigraphe. Pallas ſedens. d. Victoriolam s. haſtam, & ſimul clypeo innixa, per aream varii magiſtratus attributa, & vocum compendia. Au. m. m. Ar. m. m. Item I & III.

24. Caput Palladis galeatum. Ӿ Eadem epigraphe. Leo currens. In area lampas, pilum haſtæ & monogrammata. Ae. III. (*Mus. Cæs.*).

25. Caput Lyſimachi diadematum, cornutum Ӿ ΛΥΣΙΜΑΧΕΩΝ. Leo currens. Ae. II. (*Cary*).

26. Caput juvenile diadematum. Eadem averſa Ae. I. (*Pelerin*).

27. Caput Herculis imberbe, leonis exuviis tectum Ӿ ΒΑΣΙ. ΛΥΣΙΜ. intra coronam ſpiceam. Ae. III. (*Mus. Cæs.*) Aur. & Arg. c. Ae. R.

Amicos præterea rogavi, ut inveſtigarent apud amatores rei antiquariæ, & in muſeis, num ſimiles typi in aliquo numiſmate occurrerent.

Verum neque Lysimachi numi typis per omnia paribus inventi fuere, neque nostris matricibus similes, quamquam hujus Regis obvii sint. Adstipulandum quidem non est eorum opinioni, qui unicum numum ex singulis matricibus eductum fuisse putant, quia in tanta numorum copia, qui ab eruditis collecti fuere, datum iisdem non fuerit duos numos perfecte similes conspicere. Id enim & incredibile per se videtur, & testimonio aliorum eruditorum refellitur, qui ejusdem typi binos ternosque numos vidisse testati sunt, & ab artis ratione abhorrere, ex qua similitudinem hausit Juvenalis Sat. VII. v. 34.

Sed vatem egregium, cui non sit publica vena
Qui nihil expositum soleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triviale moneta.

Quæ etsi vera sint, tamen, fatente Eckelio, rarissimum est duos numos ab una eademque matrice profectos invenire. " Fallacem quidem, subdit doctissimus idem Eckelius, legem esse, quam aliquibus sancire placuit, cum numi duo ejusdem se matricis filios profitentur, utrumque esse operis moderni, et si non negem aliquam tum eos ἀγνωσιότητος suspicionem adflare ".

II.

Illud potius admirationem excitare debet, cum generatim (vel si admittatur, vel si reijciatur opinio, pro unico numismate singulas matrices fuisse elaboratas) magnus matricum nume-

rus apud omnis ævi gentes extiterit, quæ numis usæ sunt, tamen tanta earumdem raritas sit. Numismatum enim hodie cognitorum numerus, ex laudati Eckelii moderato computo ad LXX millia ascendit, ac in dies novis repertis augetur. Facile intelligitur, numos diligentius servari, artium instrumenta, non tam anxie custodiri, cum etiam matrices, præsertim æneæ, in massam metallicam conijci debuerint, ut in alia opera metallum informaretur. Sed, hoc etiam posito, tantæ raritatis causa difficile reddi potest.

Sed non minus est mirandum, quod tanto silentio scriptores veteres artem cudendorum numorum præterierint, neque ullam artificum, qui in eadem præstiterunt, notitiam servaverint. Nam neque instrumentorum descriptionem, neque artis ipsius processum, neque sculptorum pro matricibus adhibitorum nomina, memoriæ tradiderunt. Quod vero singulare magis est, nomen ipsum quo utimur, matricis nimirum, & quod improprium est, qualenam fuerit apud antiquos, ex silentio scriptorum ignoramus.

Lingua latina certe proprium non offert. Quam enim matricem appellavit Eckelius, & nos etiam tanti viri exemplo, alii, ut idem monet, typarium, marculum, iconium, formam dixere æque improprie, aut barbare, aut vage. Voces quoque formæ archetypæ, signaculi archetypi, ectypi, quibus nos quandoque utemur, improprias & ipsas esse agnoscimus, cum non modo ad matrices pro numis signandis, sed etiam ad alia artificia referri posse noscamus.

Nonnullæ, eæque tamen rariſſimæ numorum matrices, antiquariis innotuerunt. Comes de Caylus duas memorat Nemauſii repertas, æneas, ad Auguſti Imperatoris numum pertinentes, quarum figuræ deſcriptæ habentur in volum. XIV. monum. Acad. Paris. Inſcriptionum. Forma ipſarum eſt trunci conici leviter convergentis. Ipſarum altera potentiſſimo prælo ſubmiſſa (*le balancier*), quo numi in pluribus monetis hodiernis cudi ſolent, in fragmenta diſſiluit, quæ neglecta fuere ac deperdita. Altera cujus figuram idem Caylus exhibet (T. I. p. 274. Tab. CV. n.° 1.) idem ac prior fatum habuiſſet, niſi poſtquam per plures manus traducta fuerat, ad Caylum tandem perveniſſet. Ea eſt altitudine linearum quatuordecim, diametro linearum undecim.

Matrices alias binas ferreas, quæ Pariſiis aſſervabantur in Muſeo S. Genoveffæ deſcripſit P. Moulinet (*Cabinet de S. Genevieve p.* 117). Earum una inſculptum habet caput Conſtantii Clori, altera averſam numiſmatis, quod judicatur fuiſſe Macrini Imperatoris. Prior accurate rotunda non eſt, ut Caylus refert (T. I. p. 285) diametro ejuſdem minore exiſtente lin. 14, majore lin. 17. Craſſitudine eſt trium linearum. Altera rotunda eſt, diametro linearum 9, craſſitudine linearum quatuor. Utraque nimirum craſſitudinem habet ſufficientem, ex Cayli obſervatione, ut annulo ferreo valido (*le mandrin*) contineri poſſet, cujus auxilio, malleo ſubmiſſa, numus cuderetur abſque diffractionis periculo. Eaſ-

dem antiquas judicat, ac monet, diligenter a se fuisse observatas Patavini matrices, quæ in eodem museo servantur, ut ex comparatione tutius judicium institueret. Addit quoque, matrices ferreas numorum, quæ observandæ occurrunt, si antiquæ sunt, pertinere ad tempora inter Antoninos & Clorum.

Idem Caylus æneam aliam matricem refert, in qua caput Claudii Imperatoris insculptum est, quæ valido ferreo annulo circumdata reperta fuit. Materiam ejusdem præsertim notat, eamque ad matrices condendas adhibitam fuisse statuit usque ad Hadriani tempora: deinceps matrices numorum ex ferro fuisse fabrefactas.

Matricem numi Neronis æneam in Museo d'Ennery fuisse, ex ejusdem catalogo constat.

In epistola a docto Viro conscripta ad Spiridionem Minotto, & impressa Venetiis anno 1781, habentur descriptæ tres ferreæ matrices, quas idem Minottus possidebat. Binæ ad Romanos Imperatores Augustum ac Tiberium pertinent, quorum capita iisdem insculpta sunt. Numos mediæ magnitudinis æquant, longitudine sunt duorum pollicum, figura trunci conici. Tertia rudi est pictura ac sculptura, ad Longobardorum ævum referenda, in qua caput S. Michaelis repræsentatur. Hæc videtur genuina: priores ex iis, quæ Caylus docuit, spuriæ sunt judicandæ.

Matrices antiquas metallicas non alias memoratas inveni, præter recensitas. Repertæ quidem fuere, nec illæ tamen obviæ, matrices ex argilla

in tenuiores lamellas redacta, & excocta, quarum plures simul conjunctæ, & communi ex argilla involucro contentæ, ad plures numos unica fusione præparandos inserviebant, quas idem Caylus describit. Hujusmodi matricem ex argilla Ficoronus descripsit (*de' Piombi antichi*) Binæ pariter ex argilla in Museo Borgiano asservantur. Dubitant quidem nonnulli antiquarii, num illæ a falsariis fierent, an ab iis qui jure Principis monetis præerant, numisque legitimis cudendis operam impendebant. Sed enim vero, si de numis agatur ex metallo composito cudendis, cum fragile ipsum per se sit, ac malleo feriri non possent, non dubitarem fusione eosdem fuisse perfectos, quod ad operis quoque sollicitudinem faciebat, ubi copia opus fuerat, nec exquisita operis species requirebatur. Si vero de numis ex nobilioribus metallis, ac speciosis cudendis ageretur, & in quibus extantes typi desiderarentur, eosdem ex argillaceis formis primum rudiorem speciem nactos, postmodum cusione ex formis metallicis fuisse perfectos.

Modo vero, num formæ æneæ nostræ antiquæ sint & Lysimachi Regis coævæ, an vero a falsario confictæ, disquirendum est, cum ab hoc præsertim judicium dependeat de ipsarum præstantia. In quo quidem disquisitionum genere, tantus semper est dubitationi locus, ut sedatum mihi lectorem optem, & qui ex præoccupata opinione non judicet. Admittendum enim non est, quod aliquo rectæ rationis fundamento non fulciatur, sed ad evitandum fraudis periculum, non

omnia probabilium rationum momenta sunt reijcienda. Mitto quæ de historia repertarum harum matricum, principio breviter indicavi, ex quibus profecto falsario nullum æmolumentum obtigisse apertissimum est, si opus illud falsario tribuendum esse quis suspicari vellet. Neque enim me fugit, quam detortæ viæ iniri possint, ac soleant a sagacissimis id genus hominibus, ut suis operibus fidem faciant. Sed etiam cupio, ut hæc lecturus sibi ante oculos ponat præcepta pro discernendis genuinis antiquis cimeliis, a fictitiis & spuriis. Fatebitur enim ingenuus, tam infirmis ipsa stare fundamentis, tantum esse conjecturis tribuendum, ut nisi aliquid inter postulata admittatur, sed omnia ad evidentiæ ac demonstrationis rigorem exigantur, dubitationi nullus sit modus.

Metallum, inscriptionis ratio, literarum forma, picturæ stilus, quo vocabulo jam recepto, significatur circumscriptio (*il contorno*), gestus, habitus, cultus, indicia antiquitatis præbere debent.

Materiam ex ære pro numorum matricibus Veteres adhibuisse, supra ex Caylo adnotavimus, qui animadvertit in museis per Europam sparsis, quæ ipse invisit, & in Ægypto quoque, ubi plura antiqua cimelia reperta sunt, rarissime occurrere ferrum pro instrumentis cujuscumque generis. Æs, cuprum, lapis, vitrum, argilla cocta, metalla nobiliora reperiri, vix aut rarissime ferrum. Enses quibus utebantur Romani, duos tantum vere antiquos, ex ferro confectos videre, eidem datum fuisse

Digitized by Google

narrat: plures vero ex cupro per artem obdurato, ut ferri vices & usus implere posset. Nam cum mollior cupri substantia obstaculo esset aptis ex eodem instrumentis conficiendis, ipsos præparatione, quam ex admixto præcipue ferro fuisse conjecit, duritiem cupro ejusmodi conciliare novisse, ut in armorum confectione, quæ cæsim punctimve ferire possent, egregie cederet. Hanc conjecturam de ferri & cupri mixtione, ut confirmaret, petiit a Geoffroyo Caylus, ut appositis experimentis expenderet, eamque præconceptis respondisse tradit. Sed metallum ex ferro & cupro conflatum, revera uniforme non prodit, ac massulæ ferreæ semper remanent, quæ in massam æquabilem cum substantia cupri non adducuntur, cujusmodi obtinetur ex cupri & zinci, lapidis calaminaris, & stamni mixtionibus, ex quibus æs, & aurichalcum præparatur.

Inscriptionis ratio omnino similis est illi, quæ in omnibus fere Lysimachi numis observatur, iisdem literis, eadem ratione collocatis, juxta duas lineas parallelas longitudini sedilis Minervæ.

Literarum forma eadem est ac hodierna, cum græce scribimus, quod ad tertiam artis epocham pertinere monuit Eckelius, quæ ab initiis Philippi secundi excurrit ad vicina tempora eversæ Romanæ Reipublicæ, ac Lysimachi ævum includit. Earum æqualitas tam accurate servata non est, ut in spuriis observari solet, & penultima, o *micron*, diphtongi, qua terminatur ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ mi-

nor cæteris est magnitudine, ut in aliis hujusmodi antiquis inscriptionibus sæpe observatur, & in numo Lysimachi cujus iconem dedit du Choul, quem retulimus n.° 20.

Picturæ stilus certe egregius est, & cujus venustas atque character cum elegantissimis antiquis numismatibus ita certare potest, ut nulli inferior judicetur. Vere de eodem dici potest, ejus ætatis fortunam, quæ artes omnes ad summum evexit, rei etiam monetariæ placide adfulsisse, ut de hac epocha scribit Eckelius. Quo loco monendus mihi lector est, iconem quam exhibeo, præsertim capitis (II), licet diligenter ab solerti artifice fuerit elaborata, tamen magno intervallo inferiorem esse pulchritudine ipsius sculpturæ, in qua facies adolescentiæ florem, robur, & audentiam præsefert, collecti undantesque capilli, tortuosis meandris incompositi, nec confusi, ac diademate colligati, modum ornatus venustissimum faciunt. Peculiarem præterea attentionem sibi poscunt punctum, seu foraminulum, & circa ipsum extans lineola, quibus oculi lumen indicatur. Animadvertit Winchkelmannus (*Stor. delle Arti del Disegno. Edit. Rom. T. III. p. 265.*) rationem hanc oculos in sculpturis repræsentandi, temporibus ab Auguſto ad Hadrianum in usu non fuisse, unico excepto exemplo capitis Marcelli Augusti nepotis: utique vero antiquiore, ac florentiſſimo artis ævo, & ante Phidiam, quemadmodum observatur in numis Alexandri Magni, cujusmodi est æreus, qui in Mu-

seo Borgiano conſpicitur, cujus icon habetur in mox citati Operis T. II. p. 105.

Jam vero cum a Lyſimacho veteres Alexandri Magni typi fuerint revocati, Alexandrum vero ſciamus vetuiſse edicto „ ne quis effigiem Regis temere aſſimilaret ære, colore, cælamine: quin ſolus Lyſippus ære duceret, ſolus Apelles coloribus delinearet, ſolus Pyrgoteles cælamine excuderet „ (*Apul. Florid. VII.*) non abſurdum erit conijcere, hoc ipſum caput a Pyrgothele cælatum fuiſſe, & Alexandri faciem fuiſſe expreſſam, antequam arietini cornu ornamentum aſſumpſiſſet, ſi etiam illud aſſumpſit, cum vix in alio certo monumento præter numiſma unicum ab Haymio relatum, & ab Eckelio (T. II. p. 108) exſcriptum, cornu arietis eidem Alexandro cum diademate adſtituatur.

Averſa quoque in matricibus noſtris eleganţiſſime picta, atque cælata eſt. In hac Deæ habitus, paludamentum, partium proportio, ſedendi majeſtas, artuum ſuperiorum & inferiorum diſpoſitio, victoriolæ aſſurgentis alacritas, advolantis aquilæ levitas, omnia, exquiſitum picturæ ſtilum teſtantur.

Capitis ſculptura ita in matrice excavata eſt, ut ex eodem numus metallicus educi poſſit figura notabiliter extante, ut in majoribus aureis & argenteis Lyſimachi numis obſervari ſolet. Minus alte ſculptæ ſunt figuræ, ac literæ in averſa.

Eas matrices torno elaboratas fuiſſe colligitur, tum ex lævore ſuperficiei in facie & col-

lo, tum præcipue ex globulis, quibus extrema crura literarum sunt terminata, ut in gemmis sculptis, in collectione Stoschii, observatur. Scalpro enim opus prodit lineis insculptis asperum, illudque instrumentum in artem cælaturæ sero receptum fuit, & cum ipsa a perfectione descivit. Eos porro globulos, seu puncta in extremis literarum Græcarum ævo Alexandri Magni fieri cæpisse, notat Winkelmannus (*Stor. dell' Arti del Disegno. Edit. Roman. T. III. p.* 197.)

Exquisitas illiusmodi subtilitates in sculpturis metallorum inducere nequaquam pòtest artificium a Mongezio propositum, pro construendis numorum matricibus, in Encyclopædia Methodica Antiquitatum ad vocem *Virole*. Ibidem traditur, si binæ ferreæ massæ parentur, quæ juxta unam suarum facierum apte ad invicem congruant, in iisdemque torno excavata sint receptacula, quæ æris fusi massam contineant ejus magnitudinis & crassitudinis, cujus esse debent matrices construendæ, tum vero massæ ferreæ cum ære, quod continent igne ita calefiant, ut æs non liquetur, sed tantum mollescat, & inter utramque sic calefactam numus interponatur, ac mallei ictu, validiore, unico, massa ferrea superior percutiatur, fore ut obtineantur accuratæ matrices numi interpositi. Quæ methodus prima fronte videtur non differre a vulgari praxi numos signandi, nisi in eo, quod in cudendis numis cogitur metallum, ut assurgat in cavum matricis, in matricibus vero dicta ratione parandis, trudi metallum debet loco suo, ab ex-

tantibus in numo interpoſito figuris. Hæc tamen differentia magnam in operis ipſius proceſſu diverſitatem infert. Nam metalli ipſius materies ſibi impedimento non eſt cavum matricis ſubitura, utique vero, dum circumquaque protrudi debet, ut locum extanti numi figuræ concedat. Hinc fit, ut metallum frigidum adhiberi poſſit, & matricis, & orbiculi, in numis ſignandis, ut fieri ſolet: contra vero in artificio propoſito requiratur, ut metallum calore molleſcat. Præterea ſubſtantia æris, neque igne liquefacta ſubtiliora archetypi lineamenta referre poteſt, multo minus proinde ipſa reddet, ſi tantummodo emollita calore fuerit: quo fit ut matrices ea ratione paratæ rudiorem ſpeciem exhibeant, neque cum ſculpturæ torno elaboratæ perfectione comparandam. Noto artificio educuntur ectypæ imagines numorum, adminiculo metalli compoſiti ex æqualibus partibus ſtamni & plumbi, ac dupla portione biſmuthi. Hoc enim metallum calore gr. 60 Therm. Reaum. liqueſcit, ac impreſſiones recipit & conſervat. Sed quæ obtinentur ectypa, prototypo quidem ſimilia, ab ejuſdem ſubtiliore toreumate plurimum diſtant.

Carent matrices noſtræ ea vernice, quam *patinam* vocant, & qua tamquam certiore antiquitatis indicio, ubi ſit, gaudent antiquarii. Verum multa indubiæ antiquitatis ænea monumenta ea vernice carere, ipſi peritiſſimi non diffitentur. Dependet ejuſdem geneſis a mixtione metalli, a loco in quo ſervatum fuerit, & a contiguorum cor-

porum indole. Oxydis, seu calcis species est æris & humoris attactu, longo tempore producta. Hæc, quod falsarii hactenus ipsam æmulari non potuerint, aut ejusdem genesim sollicitare, pro judicio præstanti antiquitatis habetur, cum etiam non uti rubigo ferrum, aut ærugo cuprum rodat, sed ænea corpora, ubi gignitur acquisita duritie & lævore conservet & ornet.

His observationibus satis asserta videri potest nostrarum matricum præstantia & antiquitas, dummodo quis non quærat eam argumentorum evidentiam, quæ frustra in hac studiorum classe desideraretur. Libet enim parumper a proposito digredi, & canones expendere, quibus judicium genuinæ antiquitatis numorum inniti solent, ut inde appareat quam modica evidentia in hisce obtineri queat. Sunt autem illi canones a Beauvais collecti 1.° Numi omnes magni æris minus crassi sunt, quam antiqui. 2.° Nihil elegantiæ eorum ademit ant longior usus, aut æri & æruginis injuria. 3.° Literæ noviciam formam produnt, quali inscribi solent nostræ ætatis numi 4.° Nunquam vernice obtecti sunt, nisi artificiosa, quam tamen minus difficulter dignoveris, nam plerumque nigrior est & pinguior, neque scalpro resistit, cum tamen vernix naturalis splendore sit eximio, & eadem cum ipso metallo duritie. 5.° In eorum margine apparent limæ vestigia, sæpe occultiora, sed quæ attentum oculum non effugiunt. 6.° Formæ sunt perfecte rotundæ, quando numi antiqui, præsertim inde a Trajano, tam anxie rotun-

di non sunt. Hi canones traduntur pro judicandis numis magni æris, qui Patavini dicuntur, eædemque leges ad explorandam æneorum maxime formæ probitatem valebunt.

Modo vero juxta eos canones explorando numum æneum Othonis, majoris formæ, quem teneo, conficere me non posse fateor, quod antiquarii nonnulli statim ab inspecto & contrectato eodem numo, pronuntiare consueverunt, illum scilicet spurium esse, & ad Patavinos accensendum. Argumenta a Chiffletio adducta & a Patino abunde refutata mitto, regulisque mox traditis unice insisto. Hinc mitto quoque indicium, quod ex metalli levitate nonnulli haurire se posse putant. Non enim me fugit, metallum fusum eodem cuso specifice levius esse: sed etiam notum est, ex proportione, juxta quam ex diversis metallis æs conflatur, gravitatem specificam diversam prodire, etiamsi pariter cusum fuerit. Numus antiquus Claudii Cæsaris a Muschenbroekio exploratus, pondus specificum exhibuit 8313. Gordiani numum inveni pondere specifico 9202, alterum pariter æneum M. Aurelii 9217, Othonis numum 8538, aqua pluvia posita 1000, iisdemque existentibus barometri elevatione, & Therm. Reaum. altitudine.

In Othonis numo indicato, Antica caput habet Othonis cum inscriptione IMP. OTHO CÆSAR. AVG. TRI. POT. Nullam habet coronam lauream: capilli curti ac certa lege compositi, cultique, galericulo frontali imposito, quo, ut

Suetonius scripsit, raritatem capillorum nemo advertet. Notat Eckelius alium cultum videri in numis Othonis commatis externi, in quibus cœsaries promissior, & decora obijcitur. Aversa. SECVRITAS P. R. Figura togata, dexteram porrigens militi armato super aram, cum aliis militibus adstantibus: sub ara S. C.

Numus hic 1º quoad crassitudinem non differt ab aliis antiquis numis ejusdem magnitudinis. 2.º Ipsius elegantiæ, præsertim in aversa æruginis injuria nonnihil ademit. Inscriptionis aliquæ literæ in eadem aversa exesæ aut occultæ difficilius leguntur. 3º Literæ elegantis formæ sunt, quæ circa caput in antica conspiciuntur. Hic candide, ut solet, Eckelius „ non satis, inquit, video, cur habilis quidam artifex figuras ad veterem modum imitari scite possit literarum formam non possit, cum is dolum omni collata opera meditatus est„. 4.º Vernice, seu *patina* non obtegitur, sordibus potius inquinatus apparet, & leviter in aversa erosus est. 5.º Nullum in margine vestigium limæ oculo vel nudo, vel lente munito, conspicitur. 6.º Formæ est perfectæ rotundæ: quis autem falsarium adeo ineptum censeat ut hujus indicii vim, si opus sit non eludat?

Non ignoro peritissimos in artibus homines, doctrina & exercitatione præstantes, quamdam judicandi habitudinem ac securitatem acquirere, quæ per præcepta communicari nequit, utpote quæ ex complexu totius, unica ferme mentis operatione completur. Sed observavi quoque, in ar-

tibus ejusmodi conjecturalibus, nonnullos abuti authoritate sua. Unde laudatus, ac iterum laudandus Eckelius, postquam multa de Othonibus æreis majoris moduli scripsisset, sequentibus concludit dictis (T. VI. p. 305). " Ego hercle ejusdem reperiundi (numi Othoniani commatis romani) fortunam non magnopere appeto, nam præjudicatis adversus æneos Othonis numos omnium animis, etsi oblatus ejus generis numus omnia præseferret γνησιότητος argumenta, tamen satis scio extituros, qui, ut ajunt, nodum in scirpo quærerent, numumque vel per tenuissimas, aut arcessitas causas, quas in cujusvis alterius Imperatoris, aut non viderent, aut excusarent, inauditum condemnabunt. „

III.

Num & qua ratione signandis numis illæ matrices inservire potuerint inquirendum est. Cum autem bini illi typi magnitudine & figura numis similes sint, altero ad anticam, ad aversam altero pertinente, & cum matrices alias æneas, utcunque raras, antiquarii agnoverint, quas signandis numis inserviisse arbitrati sunt; statuemus etiam hasce nostras in eumdem finem fuisse elaboratas.

Dissentiunt eruditi, num antiqua numismata fusione tantum, an sola percussione, vel utroque artificio adhibito perficerentur. " Possumus, scribit Eckelius, legis instar, quæ, forte nonnisi rarissime fallat tenere, in Italicis urbibus, ac Ro-

mæ antiquissimo ævo, non fuisse numos nisi fusos: reliquam urbis monetam, sive consularem, sive imperatoriam, cujuscunque metalli, malleo formatam, si argenteas demas inde a Severo ad Philippos. In Græcia latissime sumpta, inde ab exordio rei monetariæ usque ad alterum Imperatorum sæculum, non occurrere numos tantum fusos, etsi aurei non pauci Lysimachi Regis modum habeant ambiguum „. Nimirum cum Vir illustris in pluribus numis Lysimachi, ac præsertim didrachmis, caput hiulcum & incompositum observaverit, ut fusionem metalli indicaret, contra vero aversam eorumdem partem elegantem sane, & quæ etiam per duplicatam in nonnullis, causa aberrantis matricis, epigraphen, certa daret mallei indicia, tamquam conjecturam proposuit, in his numis primum fusam fuisse partem anticam, deinde eamdem & aversam malleo fuisse impressam.

Veterum Scriptorum circa artem numariam silentium, quod supra indicavi, huic conjecturæ aliisque locum dedit. Le Pois, Bouteroue, Savotus arbitrati sunt a monetariis antiquis numos primum fusos fuisse, deinde malleo, mediante matrice, subjectos, ac perfectos. Contra Mahudelius fusa numismata, atque matrices ex argilla cocta, quæ repertæ fuere, & ab Caylo descriptæ sunt, ad falsariorum artes refert, adstipulantibus huic sententiæ Bimardo, & Eckelio, qui, tamen distinctionem proponit. Nimirum minores numos fusione & percussione non fuisse præparatos, mi-

nus enim in iis assurgunt typorum figuræ, quam ut duplex ea opera requireretur, ictuque proinde solius mallei perfici potuerint. Pro majoribus vero numis, qui sunt amplitudinis extraordinariæ, ac typos notabiliter extantes habent, ipsos primum fusos fuisse, deinde malleo perfectos, ut etiam hodie fit pro iis, qui ad ostentationem parantur. Docuere etiam nonnulli, pro cudendis numis, veteres fistuca machina usos esse, ex qua quidem magnum percussionis momentum haberi potest, prout ipsa vario pondere, a notabili altitudine libere labitur. Nullibi tamen hic fistucæ usus memoratus occurrit, cum ejusdem machinæ mentio a Cæsare, Plinio, Vitruvio tantum fiat, ad sublicas figendas, aut ad solum exæquandum & solidandum. Aliunde vero nota inscriptio pro rei monetariæ Triumviris apud Romanos A. A. A. Flando Feriundo, tum fusionis, tum cusionis artificium significat. Demum instrumenta ad monetam cudendam in denario Carisiæ gentis depicta, incudem, forcipem, & malleum repræsentant.

Ad hæc cum animum adverterem, ac diu anceps hæserim, num matrices numi Lysimachi percussionis periculo committerem, ut inde numum ex nobiliore metallo conficerem, variis quoque artificum opinionibus distractus, quorum alii formarum fracturam, alii consequuturam deformitatem portendebant, alii integritatem pollicebantur servatam fore: alii calidum metallicum orbiculum interponendum censebant, alii frigidum: alii typum fusione præparatum, alii orbiculum metalli-

cum planum, ex quo percussionis vi metallum assurgeret; tandem experimentis caute instituendis rem esse definiendam statui, quod votis respondit. Primum itaque curavi, ut typus educeretur ex stamno fuso inter duas matrices, inter se ad eam distantiam positas, ac zona ferrea firmatas, quam crassities ejus numismatis posceret. Hujus adminiculo, argenteus numus fusione eductus est, in quo metalli superficies asperior erat, ac figuræ minores in aversa, parum distincte conspicebantur. Tum vero zona ferrea valida, pollicem alta, formæ arcte cinctæ sunt, inter quas argenteus numus antea fusus positus est, apte congruentibus ipsius typis cum sculpturis in matricibus. Collocato supra incudem hoc apparatu, marculus, seu cylindrus ferreus eidem impositus est, cujus basis amplitudinem matricis ferme æquabat, idemque forcipe erectus detinebatur. Gravioris mallei ictu duplicato cylindrus percussus est. Matrices nullo modo læsæ fuere. Numus argenteus prodiit in antica omnino nitidus, & in quo subtiliora omnia lineamenta impressa sunt, ac metalli superficies lævis est, & æquabilis. In aversa non nitidus extitit, & in figuris minoribus victoriolæ, coronæ, & aquilæ, nec non in literis inscriptionis leviter nimis signatus, & confusus. Idcirco experimentum repetendum duxi, ac tertia etiam vice iterandum, sed causa aberrantis matricis sculpturæ a typo numi in aversa, duplicatæ in aliqua parte impressiones in eadem fuere. Cur autem aversa non prodiret distincta, quæ sulphure & gypso

educta perspicua obtinetur; causam indagavi, eamque ex eo dependere intellexi, quod matricis aversæ superficies, ut principio monui, circa medium assurgit. Nam posito inter matrices orbiculo plumbeo, numum percussione obtinui, in utraque facie nitidum, ac figuris omnibus literisque clarissime signatum, sed concavum in ea parte, quæ aversæ respondet. Hinc pronum est deducere, orbiculum, seu numum argenteum fusione præparatum rigidiorem fuisse, quam ut adhibito percussionis momento posset eam concavam curvaturam acquirere, quæ cum assurgentis matricis curvatura convexa congrueret, eidemque in omnibus punctis aptaretur. Idcirco figuræ minores ac literæ a centro matricis magis remotæ, distinctæ prodire non potuerunt. Quod etiam ex sequenti observatione confirmatur.

Figura segmenti sphærici singulis hisce matricibus tributa efficit, ut zona ferrea, qua circumvestiuntur ad cusionem perficiendam, aream ampliorem complectatur ea, quæ numi magnitudinem determinat. Consultissime id factum fuisse patet, ut nimirum, si in cudendo numo metallum extenditur, locum liberum nanciscatur. Si enim ea protuberantia lateralis in matricibus non fuisset, cum ipsæ annulo contentæ essent ad evitandum fracturæ ex percussione periculum, metallum orbiculi dilatari non posset, ac ipsam impressionem cohiberet. Hinc factum est, ut numus, tum argenteus, tum plumbeus margine circulari signatus prodierit, qui margo in argenteo numis-

Digitized by Google

mate magis elevatus est in antica, quam in aversa: in plumbeo vero pariter in utraque facie est elevatus, manifesto indicio, junctam accuratius in omnibus punctis fuisse superficiem plumbi cum superficie matricis, quam superficiem argentei, quæ idcirco in aversa minus distincte signata prodiit.

Potuissem argenteum tenuiorem numum fusione præparare, qui facilius flecteretur, & cum matricum superficie congrueret: sed ab iterandis experimentis destiti, cum suscepta rem abunde declararent, & evidenter ostenderent, hisce matricibus, malleo, forcipe, & incude, numos antea fusos, frigidosque posse prompte compleri; nec operæ pretium, aut prudentiæ satis fore censui, si ulterius periculo fracturæ, aut depravationis matrices ipsæ committerentur.

Nullius Regum Veterum, ut notat Eckelius, numi aurei argenteique majore numero habentur, nullius aurei tam pondere spectabiles, quam qui ad Lysimachum pertinent. Extant quatuor in musæo Cæsareo, quorum duo singuli adpendunt drachmas quatuor cum semisse & gr. XIII. Duo alii singuli unicam unam cum drachma & gr. XXVII. Aurei III formæ, fere argenteis magis parabiles, sed horum plerosque propter typos parum nitidos, videri fusos. " Magnam porro copiam numorum præsertim ex auro ab hoc Rege profectam, tum qui frequenter ex terræ latebris eruuntur, ostendunt, tum quod Lazius refert, a piscatoribus in spelunca ad aquam posita in Tran-

sylvania magnum numorum aureorum repertum fuisse numerum, ut plurimum ad Lysimachum pertinentium, qui ad Imperatorem Ferdinandum delati fuerunt. Si hæc conferantur cum varietate typorum, quæ in iisdem observatur, magnum quoque fuisse formarum numerum intelligetur, quibus signati fuere, quarum par hoc potuit fortunate servari.

Majores numi ex auro, argento, cupro exposita methodo signari ac perfici facile potuerunt; unicum enim numum ex matricibus eruendo, plures alii fusione numi obtineri poterant, cusione postmodum perficiendi.

IV.

Caput diadematum in antica sculptum, quod cornu arietino caret, vel ipsius Lysimachi esse potest, cum nondum capta Macedonia ipse Thraciæ imperaret: vel Alexandri Magni, antequam cornu arietini ornamentum assumpserit, eo typo in usum revocato ob suam pulchritudinem. Macedoniam enim Lysimachus XXXVI annis postquam Thraciæ Rex fuerat, occupavit, idcirco juvenilis facies, qua in hac forma repræsentatur eidem convenire potest. Sed & altera conjectura non est negligenda, cum cornu arietinum in Alexandri numis raro occurrat, ut supra notavimus. Spanhemius (*de usu ac præstantia num. antiq. Diss. VII. p.* 382) numismatis præclari, nec eatenus vulgati iconem dedit. In eodem inscriptio est, Olympia Alexandria, cum solemnibus agonum, seu

ludorum apud veteres typis, mensa, duabus urnis desuper, cum insertis palmæ ramis: intra mensam indicata græca inscriptio: circum ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ Β. ΝΕ. Commune Macedonum Bis Neocororum. In Antica caput Alexandri diadematum, quod cornu arietino caret. Sed etiam inter typos, quos principio retulimus, qui notati sunt n.° 11. 12. 13. cornu arietini ornamento destituuntur.

In aversa, Minervæ galeatæ, sedentis, frequens, ut vidimus, est repræsentatio in Lysimachi numis. Eleganter descripta eadem habetur ab Ovidio *Metamorph.* p. VI. v. 78.

At sibi dat clypeum, dat acutæ cuspidis hastam
Dat galeam capiti, defenditur ægide pectus
Percussamque sua simulat de cuspide terram,
Prodere cum baccis fœtum canentis olivæ
Mirarique Deos: operi victoria finis

Hasta pura sine ferro est, quam Diis Deabusque tribuebant: sed Minervæ & Marti sæpius cuspidatam, cuspide in terram versa, vel in altum elata. In relatis Lysimachi cuspis in terram versa est in numo notato n.° 16. Apud Oiselium (*Thes. select. numism.* Tab. LI. n.° XI.) in aversa numi Domitiani habetur Minerva armata, cum galea cristata in capite, & triplici accincta veste, dextera fulmen, sinistra hastam puram tenens. Fulgentius Mytholog. lib. II. „ longam etiam, inquit, hastam fert, quod sapientia longe verbo percutiat „. In Tab. LII. n.° III. Clodii Albini numus in aversa inscriptionem habet Minerva Pacifera Cos. II.

S. C., ac Minerva repræsentatur galeata, fere seminuda, sinistra gerens hastam cuspidatam, cuspide sursum elata, & clypeum, dextera oleam pacis insigne tenens. In Tab. XL. n.º VIII. & IX. Mars habetur Pacifer, hastam longam tenens, cuspidatam, cuspide sursum versa, & clypeum, dextera ramum oleæ. Eorum numorum VIII. ad Galienum: IX ad Severum pertinet.

Forte, quæ in numis Macedonum hasta cuspidata observatur, est referenda ad eam, qua ipsi in bello utebantur. Duabus enim hastis singuli muniti erant, longiore una, breviore altera. Longiores Sarissæ dictæ XIV. & XVI. cubitorum erant longitudine, ut Gronovius docet in præf. Vol. VI. *Antiq. Græc.* Turnebus (*Advers.* l. XXI. c. 25) versus interpretaturus

Quid Macedum immensas libeat si dicere contos

Quam longa exigui spicant hastilia dentes

" longas enim, inquit, & supervacaneas Macedonum sarissas, exiguo præfixas esse ferro dicit. Inde putaverim apud nos hastam Macedonicam picam, quasi spicam vocari, quod ferro spicata sit exiguo. „

Victoriola, corona ex oleæ foliis contexta, & clypeus symbola sunt, quorum significatio facile occurrit, atque in pluribus observantur Græcorum & Romanorum numis.

Aquila advolans ad Deæ genua observatur in numo relato ad n.º 20. Du Choul actionem significari censet ad victoriam reportandam. Quid

si noctuam repræsentari dicamus, cujus volatus symbolum victoriæ apud Græcos fuit, unde Agathocles, ut militum animos erigeret, noctuas per castra dimitti jussit? Sed figura in numo picta aquilam potius repræsentare videtur.

Ex leone petitum symbolum frequens in Lysimachi numis, neque in nostro deest typo, fulcrum nimirum sedilis ad artus leonini figuram delineatum. Refertur ad victoriam, quam ex leone, cum quo congressus est jussu Alexandri Lysimachus, reportavit.

Diadema primus Alexander insolitum Regibus Macedonicis, cum reliquo Regum Persarum habitu, sumpsit, ut ex Arriani l. II. colligitur. Tum vero, referente Justino (*Hist.* L. xv. 3) „ Lisymachum equo desiliens Alexander hastæ cuspide ita in fronte vulneravit, ut sanguis aliter cludi non posset, quam diadema sibi demptum Rex alligandi vulneris causa, capiti ejus imponeret: quod auspicium primum regalis majestatis Lysimacho fuit.

V

Vir doctissimus, & in re antiquaria peritissimus, cujus per amicum sententiam de hisce formis, earumque typis rogavi, icone, ac typis ipsis sulphure eductis eidem transmissis, eas indubitate antiquas esse judicavit. Ut certum est, inquit, aversam ad Lysimachum pertinere, non æque porro manifestum videtur anticam ad eumdem regem

esse referendam. Nam numi Lysimachi in antica tres tantum typos habent: nimirum, caput Palladis galeatæ, aut Herculis, exuviis tectum leonis, aut Regis ejusdem diadematum, cum cornu arietino. Caput autem in matrice depictum, cum nullo eorum typorum congruit. Diadematum enim est, sed cornu arietino caret, ac præterea facie est adeo juvenili, ut ad Lysimachum referri nequeat: Eapropter investigando, cujusnam imago judicari illa posset, quærendum id esse ingeniose conjecit inter Lysimachiæ numos, nimirum civitatis, quam Lysimachus supra Cardiæ vestigia ab se eversæ, ædificavit. Hinc missis autonomis, ad regios ab Eckelio recensitos animum adjecit, quos supra n.° 25 & 26 retulimus, atque notatum n.° 26 cum matrice nostra congruere censuit; Eckelio consentiens, qui de eo numo hæc scripsit " Numus Lysimachiæ alter caput offert admodum juvenile, quod adeo Lysimachi esse nequit, qui saltem annum XL. jam explevit, cum Lysimachiam condidit. Verosimile est, eo exhiberi filium Agathoclem, præstanti virtute adolescentem, & designatum jam successorem, quem fraude novercæ impie cæsum narrat Justinus ". Concludit proinde vir doctissimus, binis hisce matricibus numum fieri, obvium quidem, quoad aversam, quoad anticam vero, si, ut ex verosimili conjectura videtur, ad Agathoclem Lysimachi filium pertinet, numum haberi omnino rarissimum.

Tum vero per alium amicum viri alterius doctissimi Florentiæ degentis, & in numorum scien-

tia versatissimi judicium quæsivi, eidem transmissa icone, ac typo utroque ex gypso educto. Metallum quo matrices constant, eidem indicatum non fuit. Observavit ille, pro asserenda genuina earum formarum antiquitate facere 1.° operis elegantiam ac venustatem, quæ nullatenus inferior est egregiis veterum monetariorum operibus, qui formas archetypas pro cudendis numis Regum Syriæ, Macedoniæ, Thraciæ, Ponti &c. elaborarunt. Ita ut, si quoad sculpturam exceptio aliqua hisce matricibus danda esset, ea ex subtilitate, & accuratione exquisita nimis deduci posset, quæ in iisdem observatur, ac præsertim in figura litterarum. 2° Magnitudinem, quæ respondet numis primæ magnitudinis ejusdem Regis. 3.° Symbola ac reliqua, quæ conveniunt cum eorum temporum rationibus. Posse tamen nonnulla dubia excitari. 1.° Caput in antica non adeo extare ex superficie, ut in numis Lysimachi observari solet, qui etiamsi minoris moduli sint, tamen magis prominentem ex fundo imaginem habent. 2.° Caput idem carere cornu arietino, quo semper ornatum in numis Lysimachi conspicitur. 3.° Faciem similem non esse iis, quæ in ejusdem Regis numis observatur, in quibus catagrapha (*i profili*) minus elongata sunt, ac mentum prominere magis solet, quam in hoc typo, tum & collum latius est, atque figura capitis ad rotundam magis accedit, adspectu vultus ferociore, & ætate majore. Ita ut si ex typo gypseo judicium fiat nullo modo Lysimachi caput agnosci possit; &

si ejus matrix ab aversa seorsim spectetur, omnino incertum sit, ad quemnam ipsa sit referenda. Hanc tamen difficultatem aut prorsus, aut magnam partem posse evanescere ex inspectione ipsarum formarum: nam si genuinæ antiquitatis notas habent, adductæ exceptiones artificis imperitiæ erunt tribuendæ.

Quærit deinceps, ex quonam metallo ipsæ formæ constent. Non enim in memoriam se revocare posse, antiquarium aliquem de matricibus ad numos signandos mentionem fecisse, quæ ad nos usque pervenerint, de quarum genuina antiquitate dubitatio nulla sit. Antiquorum formas archetypas pro feriendis numis, ex chalybe esse debuisse, cujusmodi illæ sunt, quibus recentiores utuntur, ut repetitis ictibus mallei in numorum confectione resisterent: cum autem ex chalybe fuerint, eas servari non potuisse, nam rubigine consumi debuerunt. Formam vero, cujus ectypum gypseum ipse vidit, matricem adeo puram perfectamque repræsentare, ut si nuperrime esset exculpta, & nunquam ad cudendos numos adhibita.

Collatis ectypis gypseis eidem transmissis cum quatuordecim numis majoris moduli, qui ad Lysimachum pertinent, & in Museo Florentino asservantur, quorum duo aurei sunt, typos omnes dissimiles inter se, & ab nostris invenit. Minores numi caput habent cornu arietino ornatum, quod in matrice deest. Numisma maximum Lysimachi in eodem museo argenteum est diametro lin. 12 Paris. In omnibus vero vultus ferox est, et caput

extat ex area numi magis quam in ectipo gypso, præter unum, qui tamen detritus est.

Quid itaque de his formis, ex iis quæ adducta hucusque sunt, judicandum sit, docti viri decernent.

---

33 35408

Digitized by Google